



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**De Rebus Gestis Beati Aloysii Gonzagæ E Societate Iesv**

**Marchetti, Annibale**

**Florentiæ, 1687**

Capvt V. Vitæ austeritas cum solitudinis & Contemplationis studio: ubi & primi in Societatem Amores.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-43962**

*Vitæ austeritas cum solitudinis & Con-  
templationis studio : ubi & primi  
in Societatem Amores .*



Is moribus ac pietate in He-  
truriâ imbutus Aloysius Man-  
tuam a Patre , qui id tem-  
poris apud Montemferratun  
vices Guilielmi Ducis imple-  
bat , revocatur , annum tunc  
agens duodecimū. Ibi dum cō-  
sueta petatis studia exercet, nouum consiliū ca-  
pit, Castilionis dominatum, cuius insignia ei du-  
dum a Maximiliano Cæsare decreta fuerant ,  
Rodulpho fratri transcribendi , ut reliquis om-  
nibus posthabitis , clericæ militiæ sacramento  
obstrictum se , suasque omnes cogitationes di-  
vinis æternisque rebus procurandis dicaret .  
Ad id consilium ineundum , præter votum vir-  
ginitatis , quod in eo statu tutius custodiretur ,  
nonnihil etiam momenti attulit perdifficilis  
stranguriæ morbus , quo per eos dies. periculo-  
sè admodum ægrotavit . Haud enim divinæ  
Providentię visum , probos viros communibus

Stranguriæ  
morbo la-  
borat .

mor-

mortalitatis vectigalibus levare, ne virtus hâc mercede corrupta, ac vitiata, in superbiæ tumorem abscederet. Qui morbus aliam quoque austerioris vitæ studium provehendi occasionem aperuit: Cum enim humorum copiâ id malum nutriri Medici arbitrarentur, severam cibi abstinentiam, in qua noxios humores famelica natura exederet, indixere: quam ille tanto studio complexus est, ut non longè abfuerit, quin victu tam tenui morti occurreret eâdem planè viâ, quâ declinare tentabat: cibo enim usque adeo exili & parco utebatur, ut si semel ouum cœnasset integrum (quod & rarissimum erat) tunc demum se opiparè epulatum exillimaret.

Morbo tamen levatus (Numine bonæ mentis consilia avia atque aberrantia in viam revocante) animadvertit, quantum diurnâ illâ inediâ attritæ essent corporis vires; tantundem, veluti hoste debilitato, animo roboris accessisse, eamque voluptatem, quam palato detraxerat, menti divinitus restitutam: quare cum mentis robur ac voluptas antiquior illi esset, quàm corporis; quæ ieiunia medicina indixerat, pietas provexit, sic ut ultrâ quàm oportuit, integrum ferè annum institutam cibi abstinentiam retinuerit. Hinc tamen sto-

C

macho

Eoq. utitur ad austeritatem augendâ.

Ouum integrum cœna illi opipara.

macho tanta imbecillitas exitit, ut cibum nec appeteret amplius, nec sine violentiâ & nau-seâ posset admittere, quin & violenter admissum continuò evomeret. Quam ob rem, is qui habitu corporis antea optimo ac pleno erat, iam gracilis & exuētus, atque adeo fractis viribus stare vix poterat. Rarò in publicum prodibat, nisi fortè sacras ædes divos salutatum adiret, vel religiosorum aliquem conveniret, quocum sermonem de rebus ad beatam vitam spectantibus haberet. Ingens autem ex hâc virium infirmitate commodum sibi accessisse gratulabatur: eam nimirum se posse causam obtendere, si quando aulicis oblectamentis ac lufibus abesse luberet, quod firmo valentique minimè licuisset. Interea verò integros dies domi sedere compulsus, magnâ cum animi sui voluptate sanctorum virorum historijs evolendis, ubi documenta virtutum iuxta, atque incitamenta caperet, suisque Deo fundendis precibus vacabat. Quo vitæ genere mirificè delectatus, iterum propositum imperij titulos, atque insignia exuendi, eaque Rodulpho conferendi obfirmavit, ut omnibus terrenarum rerum curis vacuus, ac prorsus immunis uni Deo operam dare omnem valeret.

Ratus interea Parens patrium cælum fore  
Aloy-

Commo-  
dū ex in-  
edia, atque  
indè orta  
imbecilli-  
tate.

Aloysio præ extero quolibet mitius salubrius-  
 que, quamque semel dederat vitam, fidelius  
 seruaturum; cum per litteras monet, ut quam-  
 primùm per valetudinem liceat, sese Castilio-  
 nem recipiat: quò cum is brevi peruenisset,  
 paucis post diebus commodiùs habere, ac fir-  
 mioribus uti viribus cæpit: & profectò conua-  
 luisse, si valetudini nonnihil parcere, vitæ il-  
 lâ asperitate depositâ, vel saltem mitigatâ, col-  
 libicum foret. At ille de æternâ potiùs atque  
 immortalî, quàm de interiturâ vitâ sollicitus,  
 huius dispendio illam sibi coemere, compen-  
 dium arbitratur. Quare ad antiquam victus  
 tenuitatem, perpetuam ab amicis, notisque om-  
 nibus solitudinem, ac silentiũ adiunxit: quibus  
 ex rebus illud assequutus videbatur, quod ani-  
 mus, imminutâ per eduiorum abstinentiã cor-  
 poris sarcinâ, sursum liberiùs evolare, Deo-  
 que propior factus, eius verba, submotâ turbâ,  
 ac tumultu, faciliùs exaudiret. Cum verò ea  
 sit infinita Divinæ caritatis benignitas, ut quos  
 ab hominum commercio suâ causâ semotos vi-  
 deat, eos singulari quâdam benevolentia com-  
 plectatur, blanditijsque demulceat; sanctum  
 Adolescẽtem omnia ætatis oblectamenta, atque  
 hominum consortia suâ causâ declinantem, cæ-  
 lestibus delicijs recreare, ac mirâ animi iucun-  
 ditate

Ad victus  
 tenuitatẽ  
 solitudinẽ  
 & silentiũ  
 adiungit.

omob

C 2

ditate

Cælestibus  
delicijs ter-  
renarū fu-  
ga penfa-  
tur.

ditate perfundere instituit. Nondum verò ad  
eam usque ætatem artem Divina contemplandi  
noverat, nullos hæcenus nactus magistros, so-  
lâque voce precari, ut vulgò solent, contentus  
erat. Verùm in eâ domesticâ solitudine uno  
Deo præceptore quamcittissimè didicit, quidquid  
hominum præceptis, institutisque didicisset nun-  
quam. Id enim divinus ille Magister præstat  
præ cæteris, ut vim intelligendi antea donet,  
ac deinde suis præceptionibus instruat, Regius  
uti vates monet: *In intellectum tibi dabo, & instruam  
te*: quod præstare præceptores nostri, qui do-  
ctrinam non intelligentiam tradunt, nequaquã  
possunt. Itaque viam, ac rationem, quã divina  
contemplaretur divinitus edoctus, pierumque  
diei genio indulgens æterni Numinis nunc po-  
tenciam in condendâ atque administrandâ rerû  
universitate, nunc infinitam, quã homines in  
Cruce deperiit, caritatem, contemplando exi-  
gebat. In eiusmodi verò contemplationibus in-  
credibili quãdam mentis dulcedine, ac suavita-  
te delibutus ingentem vim lacrymarum funde-  
re cogebatur. Indè autem solitudinis, ac silen-  
tij amor magnum in dies incrementum cæpit:  
veritus siquidem, ne, si in hominum sese con-  
suetudinem vulgaret, divinam cum cælesti illâ  
voluptate conjunctam amitteret; ferè nunquã  
domo

Deo magi-  
stro contē-  
plandi ar-  
tem edi-  
scit.

domo, imò, ne conclavi quidem, efferebat pedem, seseque publico dabat. Quod cum famuli animaduernerent, per ianuæ rimas, quid tam longo tempore abditus moliretur, studiosè perscrutabantur. Sæpè autem eum cernebant positus ante Christum è cruce pendentem genibus, intentisque in eum oculis perpetuo lacrymarum imbre manantibus, complures horas extrahere: cum interim brachijs nunc expansis, nunc ante pectus in crucis modum decussatis, magnos gemitus ac suspiria, vocesque singultibus abruptas emitteret, sic ut foras etiam emanarent. Interdum verò animo a sensibus avocato, ænei instar simulacri, toto corpore immotum, oculisque inconniventibus, atque in uno obtutu defixis hæere conspiciabantur: quo tempore domesticis datâ operâ perstreperantibus, quin & apertis foribus conclave ingressis, prorsus exaudiebat nihil. Cuius rei cum rumor iactaretur in vulgus, præter domesticos multi etiam externorum ad eandem ianuæ rimas spectatum, admittebantur: nec inde sine admiratione, magnoque erga pietatem studio, quam usque adeo honestabat nobilis adolescens, excedebant. Semper autem ex eo tempore, quo divinitus eam meditandi scientiam hauserat, mentem rerum divinarum commentationibus domi, forisque

Mentis in  
divina cõ  
templatiõ  
ne raptus.

five curru veheretur, five pedibus iret, occupatam habuit. Interdum verò etiam voce aliquid precabatur: Ac sæpè a compluribus obseruatum est, cum gradus domesticos scanderet, in singulis hæsitantem Angelicâ formulâ magnâ obsequij, atque amoris significatione, Deiparam salutasse.

Deipara  
amor.

Ex Canisij  
lectione  
primus in  
Sp. amor.

Præcipuum tamen studium tacitæ meditationi impertiebatur, licet necdum certa rerum capita præfinire, nec statâ obseruare tempora morem haberet. Incidit autem per eos dies in libellum Petri Canisij, viri è nostrâ Societate doctissimi pariter ac sanctissimi. Vbi cum materiam pijs commentationibus uberem, tum etiam rectè atque ordine dispositam reperit. Cuius libelli lectione mirifice delectatus, primò in Authorem, deinde in societatem, quæ tales pareret, aleretque viros, est vehementer affectus. Cum verò sub idem tempus ad eius manus venisset litteræ illæ, quas Patres Societatis Iesu ex Indiâ Romam quotannis mittunt ( quibus nimirum supremum totius Societatis Præfectum docent, quid ibi agant nostri Ordinis homines, quasque molestias, ac tormenta perferant, ut perditum genus a miserâ dæmonum seruitute in veram Christi libertatem asserant ) mirum quanto eiusmodi virorum societatem incundi,

se-



sefeque, ac suum caput pro æterna aliorum incolumitate devovendi desiderio exarserit. Quia verò tam subito eam cupiditatem explere, ut maximè voluisset, minimè potuit; id saltem volens quod poterat, quidquid opis ei per ætatem & vires in alienam salutem conferre permillum erat, impigrè conferebat. Quare singulis festis diebus templa, ubi Christianis rudimentis plebs ac pueri instituuntur, celebrabat: ibique etiam ipse eximio animi ardore, ad debitam tamen ætati modestiam composito, piæ Catechesi operã dabat: idque tantã erga omnes vel infimæ plebis puerulos facilitate, & comitate, ut omnium in se oculos, atque ora cõuerteret. Si quando autem domesticos famulos infestis animis inter se dissidere cognosceret, evestigio eos convenire, atque in gratiam restituere curabat. Impios verò nefarias voces in Deum ac superos inter iurgia iactantes (qui stolidè efferatis hominibus mos est, ferociam suam, in Superos exercendo, commendare) asperioribus verbis, gravi Principis personã tantisper indutus, acriter increpabat. Atque universim si quem in Civitate in voluptates, & flagitia effusum intelligeret, ad eum statim veniebat, modisque omnibus, quã maximã poterat eloquentiã, e vitiorum cæno ad bonam

Auctus literis ànuis ab India missis.

Catechesim docet dissidia cõponit, & flagitiosos corrigit.

mentem revocare conabatur : & felici quidem  
ut plurimum exitu ; tantò plus valentibus pue-  
rilibus verbis , quantò minus a puero ea  
prodire posse putabantur : Sic enim  
fiebat , ut Dei verbo , quod puer  
adulterare non posset , tan-  
quam divino inuita-  
mento , homines  
libentiùs ob-  
sequen-  
tur .

